



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

Responsum contra improbantes tale exemplum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

vim trangatis. *secutus es errantem, sequere & poenitentem*. S. dicebat Ambrosius Imperatori Theodosio, qui se excusabat peccato Davidis: dico idem peccatoribus omnibus: secuti estis Prodigum errantem, sequimini satisfacientem & poenitentem.

Terent. in Adelph. act. 3. scen. 4.]

Inspicere tanquam in speculum vitas hominum

Iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.

Vtinam Deus nostro Prodigum tot concedat reditus assecletas, quot habuit fugæ & erroris; nec ego laboris mei dispendium me putabo fecisse.

III.

Responsum contra improbantes tale exemplum.

Sed quid, quid audio? dicit vnusquisque vestrum? Ut conicio subulcus est, quem proponis & quidē in hoc tam illustri nobilium matronarum collegio, turpe sequi subulcū ducem. Subulcū dicis, imo, sed infortunio, alioquin nec minori oriundum familia quam nostrum vllus, patre natus potente, & diuite, qui tot, in tantā fame, tam liberaliter alebat, mercenarios, insuper & mancipia, quanti mercenarii in domo patris mei abundant patibus, & ait Pater ad *seruos* (vt post audiemus) filii enim ipsius gestabant annulos, *date annulum in manu eius* & magna est instituta festiuitas, conuiuium, concentus, magnaque impendia ob filii perditū reditum; nam audiuit frater senior symphoniam & chorum. Subulcus utique: sed quem Dominus Iesus Christus, in collegio honoratissimorum virorum, Scribarum scilicet, & Phariseorum; qui doctissimi spectatissimiq; totius Iudææ erant, proposuit Subulcus sane; sed tam subulci, quam hortulani, & olitores aliquando commode loquuntur, iuxta prouerbiū: *sæpe olitor verba opportuna locutus*: Cum & stulti nonnumquam sapientes, & subulci nobiles erudiant: nec vnquam sapiens vllum erubuit magistrum, à quo bona disceret. Plinius

B

senior

senior consuevit dicere : nullum librum adeo p
uum, qui non saltem in aliqua re prodesset.

Seneca lib. 1. de tranquillitate vitæ] *numquam
in bona re mali pudebit authoris.*

Mich. Verinus in distich.] *Virgilius gemmas Enni
de stercore legit.*

D. Ambros. lib. 2. in Luc.] *à pastoribus etiam Alu
fidem colligit: à pastoribus populus ad Dei reuerentiam
congregatur. Hoc meritum est humilitatis, vili-
rem & imprudentiorem non dedignari magistrum.*

D. Ambrosius lib. 2. in Luc.] *Certe quo vilior
prudentiam (scilicet persona Pastorum) eo pretiosior
ad fidem.*

Et vt melius est bona ex libro legere excoriato
toq; , quam mala, fabulasque ex aurato recent
punicatoque; sic satius est à subulco discere peni-
tentiam, quàm à nobili discere offensam: non enim
dubito illustribus domicellis, omnibusque vobis,
rem videri absurdam malle sequi nobilem indecora
detestandaque agentem, quam hominem abiectum
despectumque testimonia dantem in opere plena
nobilitatis, cum & Senatores Romani olim non cen-
suerint sibi contumeliosum suos pascere greges.

Ouid. lib. pastorum] *Pascebatq; suas ipse Senator o-
ues.*

Ad hæc prodigis noster subulcus non mansit,
postquam ad patrem reuersus, veste pulchra reindu-
tus, annuloque exornatus est; multo minus in cœ-
lis regnans, sed potius magnus inter reliquos san-
ctos; nec contemnendus ob id quod fuit, sed hono-
randus ob id, quod est. Ita narratur Amasis rex Æ-
gypti, cum videret se à suis minoris fieri, quod non-
nunquam ipsorum fuisset conseruus, ex puro auro
peluim iussit fundi, qua lauaret pedes, eamque po-
stea refundi in idolon falsique alicuius Dei imagi-
nem, quo facto eam statim à suis vidit contētiose ad-
orari; rogauitq; cur id facerent? cum nō ignorarent
scaphium fuisse sordidum, responderunt alij: quia
iam transisset in formam diuinam: intulit illi
quam

DE POENITENTIA PRODIGI. 19

quamuis igitur & ego ex inferiori ascenderim gradu,
ex quo tamen rex factus sum, honor mihi a vobis
debetur: sic & nobis Prodigus honorandus est, ac in
pulchro poenitentiae exemplo sequendus alacriter,
quippe (si vnquam talis fuit) nominatus iam inter
sanctos, quamuis in vita pro tempore porcos egerit.
Nigra sum, sed formosa, dicit sponsa. Nigra per natu-
ram, formosa per gratiam; sic & subulco dicere li-
ceat, subulcus fui pro tempore per peccata,
sed iam sanctus semper, & magnus
per poenitentiam.



B 2

CON-